



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XX. De confeßione propriæ infirmitatis, & huius vitæ miseriis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

## CAP. XX.

*De confessione proprie infirmitatis,  
& huius vitæ miseris.*

1 **C**ONFITEBOR aduersum me *Ps. 31.*  
Ciniustitiam meam : confitebor  
tibi Domine infirmitatem meam. Sæ-  
pè parua res est, quæ me deiicit &  
contristat. Propono me fortiter actu-  
rum, sed quum modica tentatio ve-  
nerit, magna mihi angustia fit. Valdè  
vilis quandoque res est, vnde grauis  
tentatio prouenit. Et dum puto me  
aliquantulum tutum, cum non sentio,  
inuenio me nonnumquam penè deui-  
ctum ex leui flatu.

2 Vide ergo Domine humilitatem *Ps. 24.*  
meam, & fragilitatem tibi vndique  
notam. Miserere, & eripe me de lu- *Ps. 68.*  
to, vt non infigar, non permaneam  
deiectus vsquequaque. Hoc est,  
quod me frequenter reuerberat, &  
coram te confundit ; quòd tam la-  
bilis sum, & infirmus ad resistendum  
passionibus. Et si non omnino ad  
consensionem, tamen mihi etiam mo-  
lesta & grauis est earum infectio,

G 2 & ræ-



& tædet valdè sic quotidie viuere in lite. Ex hinc nota mihi fit infirmitas mea: quia multò faciliùs irruunt abominandæ semper phantasiæ, quàm discedunt.

3 Vtinam fortissime Deus Israel, zelator animarum fidelium, respicias serui tui laborem & dolorem, assistasque illi in omnibus, ad quæcumque perrexerit. Robora me cælesti fortitudine, ne vetus homo, misera caro spiritui necdum plenè sub acta, præualeat dominari: aduersus quam certare oportebit, quamdiu spiratur in hac vita miserrima. Heu, qualis est hæc vita, vbi non desunt tribulationes & miseriæ: vbi plena laqueis & hostibus sunt omnia? Nam vna tribulatione seu tentatione recedente, alia accedit: sed & priore adhuc durante conflictu, alij plures superueniunt, & insperatè.

4 Et quomodo potest amari vita, tantas habens amaritudines, tot subiecta calamitatibus & miseriis? Quomodo etiam dicitur vita, tot generans mortes & pestes? Et tamen amatur, & delectari in ea à multis quæritur.



ritur. Reprehēditur frequenter mundus, quòd fallax sit & vanus, nec tamen facilè relinquitur, quia concupiscentiæ carnis nimis dominantur. Sed alia trahunt ad amandum, alia ad contemnendum. Trahunt ad amorem mundi, desiderium carnis, desiderium oculorum, & superbia vitæ: sed pœnæ ac miseriæ iustè sequentes ea, odium mundi pariunt & tædium. I Ioã. 2.

5 Sed vincit, proh dolor, delectatio prava mentem mundo deditam, & esse sub sentibus delicias reputat: quia Iob 30. Dei suauitatem, & internam virtutis amœnitatem, nec vidit, nec gustauit. Qui autem mundum perfectè contemnunt, & Deo viuere sub sancta disciplina student, isti diuinam dulcedinem veris abrenuntiatoribus promissam, non ignorant, & quam grauius mundus errat, & variè fallitur, clariùs vident.

G 3

CAP.